

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dispvatio De Resvrrrectione Mortvorvm**

**Andreä, Jacob  
Besthlin, Melchior**

**Tubingae, 1574**


Dispvatio de resvrrrectione mortvorvm

[urn:nbn:de:bsz:31-128951](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128951)

1

# DISPV TATIO DE RE- SVRRECTIONE MOR- TVORVM

1.

 Vm post doctrinam de creatione omnium ex nihilo, vix alius fidei & Religionis nostræ Christianæ articulus, quàm is, qui est de resurrectione carnis, cum ratione humana magis pugnare videatur, eius certitudinem quoq; breui disputatione docebitur.

2.

Eam nō modo Epicuræi nostræ ætate rident, sed omnibus seculis tanquam absurdam, etiã doctrinæ & pietatis nomine clari damnarunt.

3.

Ex eorum numero, tempore Christi, fuerunt Sadducæi, à Iustitia sic appellati, qui de peculiari quadam sanctitate coram populo gloriabantur.

4.

His similes fore quàm plurimos in mundi senecta D. Petrus & Paulus Apostoli testantur.

5.

Et si verò Dominus eius quandam similitudinem nobis in rerum natura proposuit, cum videmus, granum in terram proiectū mori prius, & computrescere, quàm renascatur, & in culmū abeat, vt eò facilius mentis humanæ cæcitas verbo Domini sese subiiciat: eius tamen fides indubitata solo verbo Dei nititur.

6.

Duo igitur sunt potissimum eius fundamenta. Alterum est verbum Dei, quod apertè de resurrectione car-

A 2 nis

nis testatur. Alterum sunt exempla eorū, qui verè mortui, resurrexerunt. 7.

Non enim, vt fugacia spectra, euanuerūt subito, Christus, & qui cum illo resuscitati sunt, sancti Patres & Prophetæ: sed crebri & diuturni congressus fuerunt, & familiares sermones, de tanto Dei opere, de instauratione Naturæ humanæ, & tanta gloria Dei nobis donata.

8.

Esa. 46.

Quibus veritas promissionum diuinarum confirmata est, vbi scriptum legimus: *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent.*

9.

Et si verò non tantum piij & fideles, sed etiam impij & infideles à mortuis resurgent: alia tamen horum conditio, quàm illorum futura est.

10.

Illi enim ad vitam & gloriam resurgent, Ioannis 5. Hi verò ad iudicium: quorum vermis non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Esa. 65.

11.

Corporum autem qualis futura sit ratio, credimus magis, quàm cogitationibus humanæ rationis inuestigare licet.

12.

Nam etsi Apostolus spirituale corpus resurgere affirmat: quæ tamen sit eius ratio, non explicat.

14.

Perperam verò ex eo quidam colligunt, non eandem carnem resurrecturam, quæ sepulta est: quòd Apostolus inquit: *Seminari corpus animale, & resurgere spirituale.*

14.

Idem enim numero corpus, & eadē caro est, & quæ sepelitur,

*Resurrectione mortuorum.* 3

pelitur, & quæ resurgit, sicut scriptum est: Rursum pelle  
mea circumdabor, & IN CARNE MEA videbo  
Deum. Quem visurus sum, EGO ipse & oculi MEI  
conspicuri sunt, & NON ALIUS. Reposita est hæc  
spes mea in sinu meo.

15.

Quòd verò spirituale dicitur id, quod resurget, non  
cogitandum est, in Spiritum conuersum esse. Palpate,  
inquit Christus, quia spiritus carnem & ossa non habet,  
sicut videtis me habere.

16.

Sed hoc ad Gloriam & Maiestatem referendum est,  
quam habitura sunt corpora nostra, propter præstantis-  
simam spiritus Dei inhabitationem, qua omnia in om-  
nibus erit.

17.

Id verò quid non sit, quàm quid sit, facilius explicare  
possumus. Oculus enim non vidit, & auris non audiuit, 1. Cor. 2.  
& in cor hominis non ascendit.

18.

Quemadmodum etiam alia, quæ ad perfectam beatis-  
tudinem sanctorum pertinebunt.

19.

In primis autem eorum reprehendenda est opinio,  
qui in altero seculo voluptates corporis somniant, quas  
Machomet in Alcorano suis cultoribus promisit.

20.

Quibus non valde dissimiles sunt, qui Christo & res-  
liquis sanctis, cum ipso resurgentibus, nescio quas sessio-  
nes & deambulationes in cælo attribuunt.

A 3 21. Sicut

21.

Sicut enim in illa æternitate non est tempus, sic etiam nullus physicus locus.

22.

Quoniam non resurget corpus physicum, sed spirituale, quod physicas proprietates deposuit.

23.

Quapropter & illi errant, qui affirmant, corpus Christi physica locatione in cælo contineri.

24.

Quòd verò Christus inquit: Vado vobis parare locum: non dissimile est ab eo, quod dicit: Mecum edetis & bibetis in meo regno. Vbi vocabulis à rebus mundanis desumptis, alterius vitæ felicitatem & beatitudinem explicat.

25.

Ingens quoque dissimilitudo erit glorificationum corporum, sicut scriptum est: Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, stella enim à stella differt claritate: sic & resurrectio mortuorum.

26.

Et quemadmodum pœnarum gradus erunt in inferno, sicut scriptum est: Tolerabilius erat Sodomitis, &c. sic etiam gloriæ gradus erunt in saluandis.

27.

Quam tamen non humanorum operum merita faciunt, ut Papistæ de suis corollis nugati sunt: sed diuinæ benignitatis gratuita promissio, qua remunerationem illis pollicitus est, qui dona accepta benè collocarunt.

28.

Toto autem genere, ab hac gloria, carnis Christi Manifestas

*Resurrectione mortuorum.* 5.

festas Divina in cœlo differt, qua ad dexteram virtutis & Maiestatis Dei collocata est.

29.

Est enim Enoch, Elias, & alij cum Christo in cœlo sunt, ipsorumq; corpora, suo gradu, corpori Christi glorioso conformia sunt: nullus tamen illorum ad Dextram Omnipotentis Dei collocatus est, aut collocabitur unquam.

30.

Quapropter etiam non media quædam inter Dei & sanctorum est Christi hominis potentia: sed eadem divina omnipotentia, quæ, secundum divinam naturam, Christus ipse est, & secundum humanam naturam, ex unione personali habet: quod nulli Sanctorum contingit, & ea ratione hic solus homo Omnipotens est.

31.

Cuius *νομιωτορ* qui negat ea ratione in Christo realem, qua explicatum est: ascensionem Christi veram in cœlum, & sessionem eiusdem ad dextram virtutis & Maiestatis Dei, adeoq; ipsum Christum, qui est  
vita & salus nostra,  
negat.

F I N I S.

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...

...  
...  
...  
...  
...

F I N I S

PH

Prin  
ora fue  
Objec  
quaz

M. J.